



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. Quanto tempore præscribantur res mobiles, & immobiles, contra
privatos?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. II.

Quanto tempore præscribantur res mobiles, & immobiles, contra privatos?

Res mobiles (quæ loco moveri possunt) præscribuntur triennio cum titulo, & bonâ fide. *L. Unica Cod. De usucap. transfer.* nisi sint res fortivæ, quarum vitium nondum purgatum est, quæ non præscribuntur, nisi triginta annorum spatio, quod tempus etiam requiritur ad præscriptionem aliarum rerum mobilium, si sine titulo usucapio fiat, ut colligitur ex *L. Sicut 3. & L. Si quis 2. Cod. De præscript. 30. vel 40. ann.* Res verò immobiles, quæ loco moveri non possunt, uti sunt fundi, prædia, domus, & similia, inter præsentés, qui in eadem scilicet civitate, vel ejusdem territorio, ac sub eodem regimine habitant, præscribuntur cum titulo decem annis; inter absentes, qui in diversis scilicet territoriis, aut sub diverso regimine habitant, viginti annis; sine titulo verò, tam inter absentes, quàm præsentés triginta annis, si sint res privatorum. Si verò præscriptio fiat absente per partem temporis præscribente, & per aliam partem præsentē, servanda est proportio absentis & præsentis, ita tamen, ut anni absentis duplicentur, veluti si quis per quinque annos præsentis sit, qui rem immobilem usucapit, reliquo tempore verò sit absens, quindecim anni ad præscribendam talem rem requirantur.



§. III.

Quantum tempus requiratur ad præscribendum contra Ecclesias?

Ad præscribenda bona mobilia, & contra Ecclesiam Romanam, sufficit triennium, cum circa hæc specialia Ecclesijs concessa privilegia non legantur; ad præscribendum autem bona mobilia & jura Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, aut aliorum locorum piorum &c. quidquid sit de jure antiquo, hodie requiruntur 40. anni de jure ordinario (& ex specialibus privilegijs ad præscribendum bona mobilia Religiosorum S. Bened. &c., & cum his communicantium, quoad hoc privilegium, 60. anni) ut patet ex *c. de quarta. 4. c. ad an. res. 6. & c. illud autem 8. h. t.* ob specialem his locis & causis concessum favorem, ita tamen, ut si res eadem, quæ præscribitur, prius per tempus aliquod privati fuerit, postea in Ecclesiam transferatur, ea servetur proportio, ut tempus quidem illud, quo contra privatum præscribitur, computeur, addatur verò tantum temporis, quantum illi deest, juxta Ecclesiarum privilegium, complendo scil. præscriptionem intra 20. annos, si contra privatum v. g. per 5. annos coepa sit, dimidiam scil. partem temporis habendo ex usucapione contra privatum, & alteram dimidiam partem accipiendo ex usucapione contra Ecclesiam. Excipiuntur tamē ab hoc jure communi quadragenaria contra Ecclesiam præscriptionis casus specialis, quo jura alicujus Ecclesie ab hæreticis vel Schismaticis recuperata, & ad fidem Catholicam conversæ ab Episcopo v. g. convertente intra triennium